

NICOLAI AVANCINI E SOCIETATE IESV LIBER EPODON.

Comme cela a été le cas pour les oeuvres de Jacob Balde, nous n'avons pu respecter la typographie originale du texte, dans le cas présent celle de l'édition de 1670, chez Joannes Blaeu et Alexander Hartung, qui nous a servi de référence.

Et cela, d'abord, pour des raisons techniques : notre logiciel a besoin d'un format de texte précis, impliquant une reconnaissance des noms propres (leur syllabation offre souvent des particularités qui sont identifiées, à condition que le nom propre ait été reconnu comme tel). Or le texte de ces auteurs du XVIIème siècle présente une extraordinaire inflation de majuscules : les mots abstraits, comme *Veritas* ou *Pax* et des dizaines d'autres, sont le plus souvent traités comme des entités allégoriques ; de plus la majuscule est de règle en début de vers. Les noms propres des dédicataires sont entièrement écrits en majuscules...

On nous excusera d'avoir modifié ces graphies (et d'autres, comme la permutation des « y » et des « i », des « th » et des « t » dans la transposition des mots grecs) pour rendre le texte conforme à l'usage en vigueur dans les éditions modernes, et donc plus facile à lire pour un lecteur de notre époque.

Vu l'ampleur de l'oeuvre, ce travail est nécessairement imparfait : qu'on veuille bien nous le pardonner et, si possible, nous signaler les oublis et les erreurs en utilisant la touche « CONTACT » de la page d'accueil de ce site.

Ad Augustis. Romanorum Imperatorem FERDINANDUM III. ODE I. EPITHALAMION.

A1	v.1	Dulcis Hymen ! Hymen adsis !
	2	Occidentis urna Solis,
	3	mortui propago Phoebi,
	4	siderumque fusca Mater
	5	nox serena, nox sopora
	6	nox cupita, nox decora
	7	Sole surgit exule.

8 Dulcis Hymen ! Hymen adsis !
 9 Qua nigrantis Imperatrix
 10 Luna noctis ardet, ardet
 11 ignium cohors minorum,
 12 consulesque luminosi,
 13 Solis igne cycladati,
 14 noctiluci Principes.
 15 Dulcis Hymen ! Hymen adsis !
 16 usitata vise rura.
 17 Ac odoris officinas,
 18 Floreique veris aulam,
 19 qua pruina liliorum,
 20 fax colorum, lux odorum
 21 aemulatur sidera.
 22 Dulcis Hymen ! Hymen adsis !
 23 Nuptialibus corollis
 24 destinata vise rura ;
 25 regiam qua ponit aulam
 26 Flora Mater, et roseta
 27 lacte caeli, lilieta
 28 rore spargit nectaris.
 29 Dulcis Hymen ! Hymen adsis !
 30 hospitalis te Favoni
 31 poscit herba, poscit unda,
 32 frondeosque per penates
 33 clamat umbra, clamat aura,
 34 Dulcis umbra, mollis aura,
 35 aura mater germinum.
 36 Dulcis Hymen ! Hymen adsis !
 37 Te propago prima veris
 38 Dux colorum, dux odorum,
 39 luminum decora Siren
 40 purpurantibus labellis,
 41 aulicoque frontis auro
 42 gemma florum postulat.
 43 Mantuanus Austriensi
 44 sanguini se sanguis addit,
 45 Ferdinando Leionora :
 46 grandis ille, suavis illa ;
 47 ille justus, illa mitis ;
 48 clarus ille mille ceris,
 49 illa mille heroibus.
 50 Aequitatis hic columna,
 51 comitatis haec magistra ;
 52 ille Cajus, illa Caja,
 53 ille Divus, illa Diva ;
 54 ille stirpi Mantuanae,
 55 illa sanguini Austriensi
 56 illigata amoribus.
 57 Dulcis Hymen ! Hymen adsis !
 58 suavis Hymen, quid moraris ?
 59 Audiorne, mollis aura,
 60 aura vena Faustitatis
 61 mitis afflat, et serenis
 62 lapsa caelis, invocatum
 63 nube Numen anteit.
 64 Dulcis Hymen ! Hymen ecce !
 65 Nubium tutus viator

66 ludibundus adjocatur,
 67 dulcis Hymen, pulcher Ales,
 68 remiges huc vertit alas,
 69 blanduloque pennularum
 70 sibilat flabellulo.
 71 Dulcis Hymen ! Hymen ecce !
 72 pone gemmeos capillos
 73 faustitas revincta nodo,
 74 nube picta discolori,
 75 picta Sole pulchriori,
 76 inter ignes ut minores
 77 Alba Phoebe promicat,
 78 Dulcis Hymen ! Hymen ecce !
 79 pone pacis alma mater
 80serta nectit, aeviterno
 81 alligandaserta nexu ;
 82 annulosque de virenti
 83 Atticae ramo Minervae
 84 illigat Concordia.
 85 Dulcis Hymen ! Hymen ecce !
 86 cui lyrisque barbitoque
 87 auspicata plebs Amorum
 88 nuptialem ludit oden :
 89 sit perennis ille nexus,
 90 quem catenis gratiarum
 91 illigat concordia.
 92 Dulcis Hymen Ferdinando,
 93 suavis Hymen Leionorae,
 94 vive gaudii architecte,
 95 nec rubentes igne taedas
 96 pertinacis ulla venti
 97 vexet ira, vexet udis
 98 tristis Auster imbris.
 99 Mater eia faustitatis,
 100 nata frangere aestuantis
 101 Martis iras, et furentum
 102 saeva tela Concanorum,
 103 cruda bella barbarorum,
 104 huc beatos tende gressus
 105 mille cincta gratiis.
 106 Per serenae lucis aurum
 107 mille lustra Ferdinando ;
 108 mille scribe Leionorae ;
 109 regiasque Caesarumque
 110 necte prolibus coronas,
 111 Austriaeque Mantuaeque
 112 mille mille laureas.

Ad Augustissimum Romanorum Imperatorem FERDINANDUM III. ODE II.

A2 v.1 Quis insidentes flammeo ferro minas
 2 Fernandianae dexterarum
 3 tardare speret ? Ibit elatis tumens
 4 qua fervet undis Bosphorus ;
 5 et qua Propontis terga Tritonum gregi,
 6 armisque subdit Nerei ;
 7 qua bellicoso vecta conchyli Thetis

8 sulcis arat Borysthenem.
 9 Ibit, bicorni luna qua minax face
 10 intentat orbi funera ;
 11 geminumque cornu chalybe flammato metens
 12 aris dicabit Inferum.
 13 Tum feriantes Cydnus exturbans aquas
 14 ibit cruore decolor :
 15 laevisque Xanthi ripa, Trojani pavens
 16 rediviva belli tempora,
 17 pigri pocellas sanguinis sinu vehet.
 18 Sanguine Scamander sanguine
 19 fluet Propontis, sanguine natabit freto
 20 gemino Corinthus obvia,
 21 sanguine pigrescent maria, Bistonium Getae
 22 pinguescet arvum sanguine ;
 23 mergetur omnis sanguine, bicornis Deae
 24 quisquis Sabaeis nubibus
 25 obnubit aras, quisquis a Luna fera
 26 didicit levare cornua.
 27 Irata virtus Caesarum nescit pigro
 28 moveri in arma brachio.
 29 Habet parentem Numinis belli ducem :
 30 timete gentes ! Integra
 31 acies in una Virgine est. Habet Deum
 32 pridem parenti obnoxium,
 33 qui de furentum turbine armorum graves.
 34 Praeda spopondit laureas.
 35 Accinge magne Caesar Augustum latus
 36 Mavortis ira ; ferreo
 37 accende dextram fulmine, et qua se trahunt
 38 Othomannidarum cornua,
 39 Haemique moti barbarus jactat furor,
 40 fultus Getarum viribus,
 41 incumbe fortis. Certa spes palmae micat,
 42 ubi Virgo castra digerit,
 43 et arma caelum fulcit, et pugnantibus
 44 bona causa robur suggerit.

Ad Augustissimum Romanorum Imperatorem FERDINANDUM III. ODE III.

A3 v.1 Io triumphe Caesar !
 2 audivimus sonare,
 3 cum nubium viatrix
 4 egressa fama terras
 5 pendit inter astra,
 6 et classicum trilingue
 7 animavit in canores.
 8 Audivimus remotis
 9 secreta dicta terris,
 10 10 seu quas senex Ibero
 11 11 illustrat igne Phoebus ;
 12 12 seu quas recentiore
 13 13 juvenis subit quadriga.
 14 14 Audite Solis, inquit,
 15 15 orientis et cadentis
 16 16 sinus remotiores.
 17 17 Audite regna vastae

18 Libyes adusta Cancro,
 19 et vos tumentioris
 20 rigoribus Bootae
 21 subjecta regna juri,
 22 audite : Ferdinando
 23 cadetis in triumphum.
 24 Ille emicante dextra,
 25 ferroque fulminante,
 26 et Thraciae furores,
 27 et arma Sarmatarum,
 28 Scythicasque franget iras :
 29 formidolosa Thressae
 30 calcabit arma Lunae ;
 31 devictaque Austriensi
 32 Phasis vetus Gradivo
 33 fasces superbiores
 34 lunabit, et lupatis
 35 parere discet Austris.
 36 Audite vota Divi,
 37 qui Teutones amatis,
 38 qui bella Ferdinandi
 39 foveatis, et benigno
 40 animatis arma nutu,
 41 audite vota Divi.

Ad Seren. ac Potent. Ung. Bohem. Regem FERDINANDUM IV. AVSTRIACVM. ODE IV.

A4 v.1 Ferdinande (nec veremur
 2 Caesarum subire vultus)
 3 Ferdinande vita Patris,
 4 Austriorum gloria,
 5 ad Coronas, Imperique
 6 sceptrum Numen te vocavit.
 7 Obsequendum est : Ferdinande,
 8 ad coronas provolat
 9 dumque eburna e sede mundum
 10 contueris Imperator,
 11 civiumque subditorum
 12 vota ab alto despicias,
 13 imperare jussus, audi
 14 admonentis dicta Patris :
 15 Austriorum, inquit, parentum
 16 nate regna legibus.
 17 Frons amoena sit, serenus
 18 risus oris, mite labrum,
 19 melleusque vocis imber,
 20 et modesta lumina.
 21 Martialis ira vultus,
 22 pectus acre, justus ensis,
 23 et pius calor, manusque
 24 expedita in proelia ;
 25 cum frementis ira Martis
 26 saeviente vecta flamma,
 27 vel rebelle gentis oestrum
 28 regna ferro vulnerat.
 29 Si quiescat ira Martis,
 30 otietur aestus ensis.

31 Bella belluas tuentur,
 32 pax amica Principes.
 33 Cura Numinis tuendi,
 34 cura civium perennis
 35 pectus urat, aequitasque
 36 facta lance ponderet.
 37 Pro Deo decet labores
 38 imperantem non timere.
 39 Civiumque pro salute
 40 excubare Principes.
 41 Caesares Deo studentes,
 42 publicoque militantes
 43 civium bono, favores
 44 insequuntur Caelitum.
 45 Ferdinande, sic regamus,
 46 ut regamur altiore
 47 lege caeli, sitque Numen
 48 imperandi regula.
 49 Sic prementur arma Martis,
 50 liliisque grandinabit
 51 Pax sereno vecta curru,
 52 Pax Olympi filia,
 53 sic recens dies cadensque,
 54 lege amoris copulandus,
 55 convolabit in beata
 56 frena pacis aureae.
 57 Dixit. Audis Ferdinande ?
 58 Astra nutant, et jubente
 59 Pax Olympo mitiora
 60 saecula orbi digerit.
 61 Pax amoenae mater aurae,
 62 Pax soror beatitatis,
 63 siderumque faustiorum
 64 Pax decora filia :
 65 Pax medulla suavitatis,
 66 blanda mater aequitatis,
 67 utriusque risus orbis,
 68 Faustitatis gratia.

Ad Augustissimum Romanorum Imperatorem LEOPOLDUM. ODE V.

A5 v.1 Quem praesidere rebus humanis Deus
 2 jubet, labori mancipat.
 3 Hac lege veniunt purpurae, ut Regem dies
 4 nullus quietum sentiat.
 5 Cum Sole cura prodit, et Solis comes
 6 decurrit in meridiem,
 7 meridiemque vesper et cura excipit.
 8 Sic annus anno truditur,
 9 labor labore impellitur. Cernis mare
 10 tempestuosis fervidum
 11 deproeliari fluctibus, jamque arbitro
 12 Boreae flagello concuti,
 13 jam verberari Circio, aut Austro rapi ?
 14 Vitam tueris principum.
 15 Curae et labores pectus in partes trahunt,
 16 nec tenue cedunt otium.

17 Quodcumque telum publicae rei imminet,
 18 primum lacessit Principes.
 19 Nec ante se per corda populorum trahit,
 20 quam corda regum lancinet.
 21 Si bella pulsent moenia, et dextra facem
 22 Bellona Martis torqueat ;
 23 jam se medullis grandis insinuat labor,
 24 roburque lassat pectoris.
 25 Simul ista posuit Auctor imperii Deus
 26 sceptrum et labores improbos.
 27 At nil verere Caesar, et mundi Hercules
 28 Leopolde, gemma Principum :
 29 in cuius humeros pondus inclinat Deus,
 30 metitur ante robora,
 31 aptatque vires. Nec poli in molem vocat
 32 imbelle pectus. Herculis
 33 haec cura robur, aut Atlantei arduum
 34 animi vigorem postulat.
 35 Est cura Superis, talis ut Caesar gravi
 36 Mundi labantis ponderi
 37 subjiciat humeros, cuius infractus vigor
 38 sapiente Consilii basi
 39 Industriaeque nixus ingentem pari
 40 molem gubernet robore.
 41 Tibi nulla posthac otia quietem dabunt ?
 42 Quid inde ? Magni pectoris
 43 viri quietem nesciunt. Dei indolem
 44 Rex, qui laborat, induit,
 45 numquam est quietum Numen. Hic tamen labor
 46 nihil quieti derogat.

Ad Augustissimum Romanorum Imperatorem LEOPOLDUM. ODE VI.

A6 v.1 Te spectatorem cupio Leopolde. Theatrum
 2 est Caesar alter alteri ;
 3 Augustusque prior pictura est viva sequentis.
 4 Sequens prioris semitam
 5 dum legit, augustamque pari diademate frontem
 6 induit, easdem pectore
 7 concipit ingenti flammis, studioque sequendi
 8 semel incitatus, anteit.
 9 Nimirum, non lenta urit praecordia regum
 10 virtus, sequentis calcar est,
 11 anteeuntis honor. Tendat licet ardua virtus
 12 per confragosas semitas,
 13 indomitasque vias ; quo se prior intulit, alter
 14 ardentius connititur.
 15 Matthiam Leopolde vide. Si bella minentur
 16 Thressaeque Lunae cornua
 17 imbre sagittarum jaculentur funera, forte
 18 latus pavendis objicit
 19 mortibus, et tumidam castigat fronte procellam.
 20 Si regna scindat Imperi
 21 relligio discors, populique armata ruinis
 22 perfidia subvertat fidem ;
 23 in caelum, Superosque Pius sacra templa tuetur,
 24 Deumque laesum vindicat.

25 Et bello felix, et felix pace : trophaeis
 26 per arma partis inclitus :
 27 munificus dextra, sed ferri parcior : ore
 28 adfabili benignior :
 29 et Themidis cultor. Quidquid vel sidera pleno
 30 fudere cornu in Caesares,
 31 vel natura dedit fecundae munere dextrae
 32 id omne in unum confluit ;
 33 augustumque facit populo, charumque Tonanti.
 34 Haec est imago Caesaris.
 35 Nec Leopolde tibi satis est spectasse. Parentum
 36 quicumque tantum imagines,
 37 et longo stantes in curribus ordine ceras
 38 videre gaudet ; segnis est
 39 haeres majorum, patrio nec sanguine dignus.
 40 Hoc exprimis, quod aspicias :
 41 et pudet Austriaco traxisse a sanguine stemma
 42 virtutis expers patriae.
 43 Otia quod reliquis, tibi dat Leopolde laborem.
 44 Illi in parentum gloria
 45 otia tuta trahunt. Nec enim virtute parata
 46 aequare Patrum nomina
 47 nituntur factis. At tu superare priorum
 48 famam, decusque niteris.
 49 Posterior semper si vincit laude priorum,
 50 quo fama crescet Austriae ?

AD BEATISS. VIRGINEM DEI MATREM. ODE VII.

A7 v.1 Ex ore Virgo prodiens Altissimi
 2 dic, esne Patris halitus ?
 3 An cordis aura ? An pectoris suspirium ?
 4 An ignis exhalatio,
 5 qui sub Tonantis pectore in nostri calet
 6 vivax amorem ? Scilicet
 7 semel locutus est Deus ; duo tamen
 8 audita sunt ; verbum Dei,
 9 Verbique imago Virgo. Nam quidquid Pater
 10 locutus est in Filio,
 11 in Matre totum pinxit. At pinxit tamen
 12 necessitate Filium,
 13 sed caritate Virginem. Sed non dedit
 14 paternitatem Filio ;
 15 maternitatem Virgini Augustae dedit :
 16 ut cujus ipse genitor est,
 17 sit et illa genitrix : utque se Pater exprimit,
 18 sic Mater in Verbo exprimat.
 19 Hinc est imago Patris et Nati, parens
 20 Augusta Virgo. Filius
 21 Materque eodem Patre procedunt : Pater
 22 lucet in utroque. Filium
 23 quicumque flexo poplite veneratur, suum
 24 statuat honorem Virgini.
 25 Nec absque Matre Filius colitur satis,
 26 nec Mater absque Filio.

AD LABOREM ET SAPIENTIAM. ODE VIII. EPITHALAMION.

A8 v.1 Surge nuptialis ardor,
 2 blande amoris administer,
 3 dum chorea pendularum
 4 it per astra flammularum,
 5 et Scientiae, et Laboris
 6 allaborant Nuptiis.
 7 Surge Amor felicitatis,
 8 conde - prome faustitatis,
 9 delicate Gratiarum
 10 architecte ; pacis uber,
 11 prime flos beatitatis,
 12 vena prima nectaris.
 13 Si Deae frementis ira,
 14 prodigaeque mentis ardor
 15 Martis astro suscitatus
 16 bella saevo volvat Haemo,
 17 Thraciamque, Sarmatasque
 18 volvat uno turbine :
 19 unus est labor Laboris
 20 frangere arma, vertere iras ;
 21 et calente mentis oestro
 22 fluctuantes per Gradivi
 23 ire messes, et decoram,
 24 nundinari gloriam.
 25 Sternere agmen, dissipare,
 26 et sequace fulminantis
 27 imbre plumbi praevolantum
 28 sistere impetum, et trophaea
 29 dedicare rapta Cedro ;
 30 figere arma postibus.
 31 Si sereno vecta curru,
 32 post cruenta bella Martis,
 33 candidos dies reducat
 34 Pax beata, Pax amoena,
 35 Pax amica, Pax serena,
 36 Pax Olympi filia :
 37 unus est labor Laboris
 38 condere agros, condere urbes,
 39 subditisque jura ferre ;
 40 areasque consulares,
 41 et Senatum lege magni
 42 temperare Consili.
 43 Surge amor, leporis uber,
 44 candidaeque dives imbre
 45 lucis, aemulate flammis
 46 innocentis astra caeli,
 47 et Scientiae, ac Laboris
 48 allabora Nuptiis.
 49 Caja filia est Tonantis,
 50 ante regna nata caeli,
 51 ante siderum choreas,
 52 ante Phoebum, et ante Phoeben,
 53 ante montes ante fontes,
 54 ante Ponti murmura.
 55 Quando sacro pinxit igne
 56 Numen astra, quando honesto

57 compsit auro Solis ora,
 58 linearum, quas trahebat
 59 aeviternae dextra mentis,
 60 sponsa stabat ectypon.
 61 Illa Nerei fusa regna
 62 convocavit, et capaces
 63 in sinus cadente terra
 64 alveum dedit natare,
 65 ac in obviis arenis ;
 66 scripsit irae limitem.
 67 Illa montes educavit,
 68 illa valles excavavit,
 69 montiumque valliumque,
 70 vulgus, arbores minores,
 71 et Quirites, et Senatum
 72 condidisse dicitur.
 73 Surge nuptialis ardor,
 74 o parens amoenitatum,
 75 dum pari nubit labori
 76 nata Patre Diva caeli,
 77 surge, prosperamque taedam
 78 nuptiis accommoda.

AD LEPIDUM. ODE IX. Vitanda improborum consuetudo.

A9 v.1 A noxiorum coetibus recedere
 2 virtutis est pars maxima.
 3 Plerumque sidunt vitia, quando abest comes,
 4 scelerumque ductor. Crimina
 5 volunt probari. Primus hic fructus mali est
 6 laudem aucupari. Desinat,
 7 qui scelera laudet, desinet et ipsum scelus.
 8 Nam quis rubente purpura
 9 latus coronat, placeat ut solus sibi ?
 10 Nemo sibi ipsi lautus est.
 11 Amat videri luxus, atque impos sui
 12 exire, et oculis objici
 13 spectantium desiderat. Luxum premes
 14 et cordis impotentiam,
 15 jactantiamque mentis, et lasciviam ;
 16 si, ne videri postulent,
 17 curaveris. Laudator, hortator, comes,
 18 et ductor illuc pertrahit,
 19 venisse quo te pudeat. Hos fuge, et malo
 20 medicina parta est. Is caret
 21 vitio, sodales improbos quisquis fugit.
 22 Quae solus horres, cum duce
 23 audes patrare. Socius extinctum focum
 24 animat, gravique incendio
 25 mentem perurit, qualis ubi tecto Notus
 26 ardente saevit, alteri
 27 infundit ignem ; talis improbitas ducis
 28 bacchatur, et se proximo
 29 insinuat animo. Aut qualis effusis jacet
 30 sopitus undis Nereus,
 31 Quando furentes Aeolus ventos premit :
 32 at ubi catenas ruperint,

33 seseque ponto infuderint, fremunt aquae,
 34 exsuscitantur montibus
 35 pares procellae ; quaeque tranquillo otio
 36 undae jacebant, nubibus
 37 sese maritant : talis innocuus licet
 38 animus, sodali noxio
 39 junctus, sodalis indolem et vitium trahit.
 40 Quae quisque didicit, haec docet :
 41 suadetque, quae quis diligit. Proprium mali est
 42 quaerere vagari, aut serpere.
 43 Vis innocentem vivere aetatem ? Duci
 44 temet nocenti subtrahe.

AD VER. ODE X. Eius amoenitas describitur.

A10 v.1 O medulla gratiarum,
 2 siderum jocosa Siren,
 3 otium negotiosum,
 4 pectorumque mite caelum,
 5 ver Ephebe dulcis anni,
 6 ver ocelle temporis,
 7 artifex amoenitatum,
 8 architecte blande florum,
 9 quem jocantis ardor irae,
 10 ambulansque per comati
 11 delicata rura Paesti
 12 aura lambit Attica.
 13 Dulcis aura cum flagellat,
 14 mollis aura cum duellat,
 15 aura lenis, hospes Hyblae,
 16 blanda civis aura Tempe,
 17 aura nata sub rosetis,
 18 aura Hymetti filia.
 19 Quae decenti murmurillo
 20 nuptialibus flabellis
 21 lambit Euros, lambit Austros
 22 et rigentum segne plaustrum
 23 mitioribus labellis
 24 osculatur Arcadam.
 25 Cujus aureo Bootes
 26 basio hirta labra tactus
 27 ponit arma, ponit iras,
 28 Maenalisque turbulenta
 29 nube cruda tergit ora,
 30 frontis et tyrannidem.
 31 Cujus osculo Amphitrite
 32 temperat theatra Nerei,
 33 caerulaeque frontis alma
 34 conserenat Iris aestum,
 35 perque Dorides susurrat
 36 dulce nectar otii.
 37 Inquiline Ver Triquetrae,
 38 ver parens Etesiarum,
 39 mille gemmas, mille frondes,
 40 mille frondium virores,
 41 mille flores, mille rores,
 42 mille spargis gaudia.

43 Ver cupitum, Ver decorum,
 44 seu quietis officinam,
 45 frondeamque tewis aulam,
 46 unde Cynthias sagittas
 47 innocente temperati
 48 pellis arte fornicis :
 49 sive candicante brumam
 50 nube spargis liliatam,
 51 seu ligustra, seu roseta,
 52 quae fremente non momordit
 53 dente bruma, nec gelavit
 54 Circii ferocia ;
 55 seu Smaragdino natantis
 56 vulgus undae lambis ore,
 57 semper altae Rex quietis,
 58 pulchrioris autor anni,
 59 et parens beatitatis,
 60 ver viroris arbiter.

AD AUSTRIACOS. ODE XI. Ut arua pro Caesare FERDINANDO sumant...

All v.1 Amemus. An nos caute Marmarica satos
 2 Libyssa tigris ubere
 3 pavit maligno ? Corda num Sipyli jugo
 4 duxere venas marmoris ?
 5 Totusve mentem Caucasus, vel intimas
 6 Haemus medullas occupat ;
 7 vetatque amare Caesarem, cui addecet
 8 ipsum litare sanguinem ?
 9 Amemus, Austria. Arte non alia potest
 10 Amor rependi Caesari.
 11 Illum per arma Martis, et saevos amor
 12 egit procellae turbines.
 13 Augusta testis, testis est Ratis - bona,
 14 Kelheimium, Moguntia,
 15 Donawerta, Norinberga, quaeque atrum bibit
 16 Norlinga Sueci sanguinem.
 17 Vidit Aquilonis turbo, quem procul ultima
 18 Gustavus egit Balthide :
 19 quem cum subegit, pressit invidiam simul
 20 audaciamque Vandali,
 21 reverentiamque finibus mundi extimis
 22 sui imperavit nominis.
 23 Quacumque parte spolia, vel victoriae
 24 trophaea fixit, emicant
 25 defixa signa amoris, et pro patria
 26 impendiosi pectoris.
 27 Amantem amare Caesarem qui non potest ;
 28 illum maligno sidere
 29 ferox marita prodidit Geteslea,
 30 vel evolutis fluctibus
 31 vomuit profundi saeva tempestas maris,
 32 vel Adriae, vel Caspii :
 33 illi cruentum fluxit in pectus lapis
 34 Sipylique dura fragmina,
 35 Ceraunisque vena, Pardorum indoles,
 36 mores leonum, tigridum

37 indomita feritas, quodque natura horruit,
 38 supremum Averni toxicum.
 39 Amemus. Ille prodigus vitae calor,
 40 et prostitutus proeliis
 41 amor, meretur diligi. At nemo satis
 42 amat, nisi arma diligat,
 43 clypeusque stet pro Caesare. Examen fremit
 44 Aquilone ducti militis,
 45 cui multa galeam bruma conspersit nive,
 46 multusque adussit Sirius :
 47 cui multa cessit palma, quem praedae gravant
 48 pressi tot annis Imperi :
 49 hic vastitate regna, et Imperium premit,
 50 hic spoliat urbes, oppida
 51 exurit, agros vastat, et cives necat,
 52 et aggeres cadaverum,
 53 struesque miscet funerum, et toti parat
 54 catastrophes Germaniae.
 55 Hic illa virtus Austriae, hic sese exerat
 56 avidus mori pro Caesare
 57 amor Austriorum ; seque per belli faces,
 58 per dura Martis fulmina
 59 agat in triumphos. Semper armatus fuit
 60 amor pro amato desinit
 61 ipse amor amare, si sibi exarmet latus.
 62 Armati amemus Caesarem.

Ad Reverendum Dominum IACOBUM ZUTTINIS. ODE XII.

A12 v.1 Humiles fugacis gloriae exosus casas ;
 2 vallesque honoris animus, emergens luto
 3 Terrae jacentis, qua serenato Deum
 4 cristallus ambit igne, qua stellae meant,
 5 famulisque Numen ambiunt splendoribus
 6 densae choreae siderum, invadit polos.
 7 Superba Memphis, Dauniae illustris seges,
 8 fastus Alyattae, Persidos cultus, opes
 9 inopis Phraatae, gleba Pactoli, gravis
 10 tributa Gangis, ditis Hesperium Tagi
 11 vectigal, animos nempe serviles tenet,
 12 vilesque mentes. Aquila pennatis supra
 13 sese astra remis librat : in turpi natat
 14 gravis anser alga. Gaudet aspectu diem
 15 haurire Phoenix : noctuae tenebras amant.
 16 Illustre quidquid, quidquid augustum edidit
 17 natura, noctes odit, et sequitur diem.
 18 Avara corda gloriae hoc sedem sibi
 19 locant theatro, quo Deus. Si quae jacet
 20 ignava virtus, umbra virtutis mera est,
 21 non vera virtus. Ista nec multis Patrum
 22 contenta ceris, nec palatino tegi
 23 patiens honore, stemmatis luci novam
 24 lucem addidisse cupida, majorum inclitas
 25 cumulare lauros gaudet, et sapientiam
 26 suam locare Solis in medio die.
 27 Sic tu, jacentes Daedala terras super
 28 evectus arte, trans inundantem igneis

29 nimbis Olympum, transque stellarum domos,
 30 Jacobe, nixus Pallade, ingressus polos
 31 unum et triforme Numen accedis prope,
 32 propiusque spectas. Quidquid involvit sinu
 33 caliginosae noctis obscurus dies,
 34 hoc eruditae mentis evolvis face.
 35 O quanta credam nosse, qui nosti Deum !
 36 O quanta credam posse, qui potes quoque
 37 Deum tueri ! Nempe ut ignores nihil
 38 metam tuae scientiae statuis Deum.

Ad Eundem R. d. JACOBUM ZUTTINIS. ODE XIII. Cum Theologiae Baccalaureus crearetur.

A13 v.1 Caliginosum mentis heroae calor
 2 vixisse nescit sanguinem, aut vili tegi
 3 famae silentis nocte. Qua Titan vias
 4 temone signat aureo, hac sequax vigor
 5 virtutis ignes provehit. Ducit diem
 6 quacumque rapitur Cynthus : diem trahit,
 7 quacumque virtus rapitur. It Soli comes
 8 ardor, calorque : socius incessu pari
 9 virtuti it ardor, forte virtutis tuae
 10 exaestuantes ipse sudata excipis
 11 in fronte radios ; unde sub laurum volas
 12 anhelus umbrae. Nempe lassatam gravi
 13 mentem labore frondium recreat viror,
 14 et umbra lauri. Quae tamen pulchro ambitu
 15 tuum coronat verticem lauri coma,
 16 nullius umbrae est mater. Hoc splendens habet
 17 sapientiae umbra ; illuminat. Quae per tuas
 18 folia virentis laureae inserpunt comas,
 19 radios vocabo. Namque tu soli caput
 20 aequasse gaudes. Cynthium ut stipat suum
 21 radius, satelles aureus ; stipat tuum
 22 laurus satelles verticem. Solem fugit
 23 Nox, partus Orci, triste portentum Stygis,
 24 sororque mortis : Laureae ad lucem tuae
 25 pavet omnis umbra, et turpe sub Lethes vadis
 26 caput recondit. Vota si caeli audiunt
 27 precibusque Numen annuit, votum dabo :
 28 Iacobe, semper lucidum ut vivas diem,
 29 in luce semper occidas. Semper diem
 30 vivit serenum, in luce quisquis occidit.

AD BEATISS. VIRGINEM MARIAM. ODE XIV. In morbo supplicatio.

A14 v.1 Artus labascunt, osseam in vallem cadit
 2 vultus, theatrum gratiae ;
 3 frons illa, sedes gaudii, inducto super
 4 pallore maeret, irides
 5 blandi jacent supercili ; geminae faces,
 6 geminive soles luminum
 7 prope in gelata specula durescunt : genae,
 8 caritum voluptas, corruunt :
 9 labra purpurissum deserit, vultum vigor,
 10 totumque corpus Gratiae.

11 Decumana tussis vocis angustat vias :
 12 reciprocante spiritus
 13 pulmone fessus vix reluctantes potest
 14 penetrare portas faucium :
 15 digitos reducti contrahunt nervi ; pedes
 16 compage rupta debita
 17 officia fracto denegant. Animae parum
 18 superstes aegre ducitur.
 19 Avara fati Lachesis evolvit colum,
 20 et stamen urget Atropos.
 21 Non vivo ; sed nec morior. A vita pari
 22 cum morte disto limite.
 23 Si sit cadendum, Virgo, quae blando sinu
 24 tuos clientes excipis,
 25 mensura voti, pectoris Virgo mei,
 26 ades cadenti ! Nil moror,
 27 mori paratus ; quando maternum mihi
 28 sinum cadenti subjicis.
 29 Tibi militavi, Virgo, Pierio tibi
 30 senuit ebur conamine :
 31 Hoc posco demum, mortuo vati ultimam
 32 impone Virgo lauream.
 33 Quod si voracis ore me leti rapis,
 34 jubesque rursus vivere ;
 35 tibi nostra buxus serviet ; nomen tuum
 36 Parnassias per areas,
 37 permessios per alveos laetus canam ;
 38 et cum suprema forcipe
 39 stamen secabit Lachesis, in tuo mori
 40 gaudebo vates nomine.

Ad Bonarum Artium STUDIOSOS. ODE XV.

A15 v.1 Audite, si quem frontis augustum jubar,
 2 laurusque honoris allicit ; si cui cruor
 3 nobilis adurit pectus, et virtus fibris
 4 calefacta bullit : Pallas in campum vocat
 5 onusta palmis. Jam recesserunt dies
 6 blandae quietis : otio Autumnus graves
 7 refecit artus. Musicis satis datum est
 8 silvae camenis, piscibus, campis satis.
 9 Adeste ; qua Minerva generosis diem,
 10 pugnamque Apollo dicit, et mentes vocat.
 11 Adeste : sed non desides partus Cypri.
 12 Non delicati Veneris infaustae satus,
 13 non lacte pasti Chloridos, tincti genas
 14 stibio, et amomo verticem, minio labra,
 15 manusque lacte lilii, elegantuli,
 16 et mollicelli, et mellei narcissuli.
 17 Pudeat amare Palladem, et tingi comam ;
 18 sequi Minervae signa, nec fucum genis
 19 demere rosarum ; bella moliri manu, et
 20 lento perire in otio. Fortes amat
 21 Apollo mentes, desides odit manus,
 22 emarcidasque gratias. Cedant croci.
 23 Cyparissulique, liliorum et nectaris
 24 lacte educati : Palladis praeda est honor.

25 Honor teneri dextera imbelli nequit,
 26 nec dormienti laurus in frontem venit,
 27 nec honesta fama languido. Si cui labor
 28 in pertinaci plurimus callo sedet,
 29 socius Minervae laudis in partem veni.

AD BACCALAUREOS THEOLOGIAE. ODE XVI.

A16 v.1 Si cui Liburnis abditi fibras coquit
 2 auri libido montibus ;
 3 aut Indicarum viscera, et rubentium
 4 medulla tangit rupium ;
 5 si quem procella vectus aurata Tagus,
 6 flavisque tempestatibus
 7 superbientis unda Pactoli rapit :
 8 non curioso montium
 9 findat ligone viscera ; nec auro incubum
 10 pelagus remotum classibus
 11 tabulare studeat. Aequoris quondam sinus,
 12 inumque gremium Nerei
 13 fugitivus auri splendor ambivit, timens
 14 poenas suorum criminum :
 15 et impiratis luridae partus Stygis
 16 ne afflaret auras pestibus,
 17 se sub recessu montium abscondit, suo
 18 pallore testatus metum.
 19 At nunc probrosi nominis rasis luem, et
 20 famae prioris dedecus
 21 secuta fama. Publicae Atlantes rei,
 22 aeternitatis arbitri
 23 vitae magistri ; quos nec Erythraei calor
 24 ussit metalli, nec sitis
 25 pallentis auri tenuit, aut fames sacra,
 26 habitant in auro. Scilicet
 27 illustris animus Pallade, et mens aurea
 28 lares meretur aureos.
 29 Non illud aurum concipe, in cujus sinu
 30 technae coquuntur fraudium,
 31 quod in arma regna suscitatur, caedes serit,
 32 et seminat cadavera,
 33 suoque cinere sepelit ingentes domos,
 34 et busta regnorum trahit.
 35 Sed illud aurum intellige, a cujus face
 36 ardent olympi sidera,
 37 et fulgurantis consules caeli micant.
 38 Illud per aedes spargitur
 39 sapientium aurum, quo coronantur poli,
 40 quo vestiuntur sidera.
 41 Non ergo egenus esse theiologus potest,
 42 cui semper est aurum domi.

Ad Rev. et Illus. Principem D. ANTONIUM EPISCOPUM VIENNENSEM. ODE XVII.

A17 v.1 Phoebe, seu motas legis ungue chordas,
 2 seu redordiris numeros, lyramque
 3 pollice exploras meditatus inter

4 fila loquelam :
 5 mitte nunc Horatianae
 6 plectra legis, et soluto
 7 lude metra dithyrambo.
 8 Audior. Ictus lege solutus
 9 tactu nervos citat enerves,
 10 cursim explorat, carptim irritat,
 11 movet argutos, monet acutos.
 12 A tergo quae turba subit, cui flore nitentem
 13 siderum cinctus redimit capillum,
 14 ora tranquillat resoluta, Sole
 15 Iris adulto ?
 16 Virtutis ora nosco.
 17 Lacte tincta Gratiarum.
 18 Miniata flore caeli,
 19 rore picta Caelitum.
 20 Haec dextrum laevumque latus stipata deabus,
 21 vitae arbitris, necisque ;
 22 super alta mundi regna, qua choreis
 23 plaudunt Tonantis sidera regiam,
 24 remigibus Zephyris,
 25 aurigante Favonio
 26 abit pernice volatu
 27 praevola magni buccina mundi,
 28 Divum nutrix, virtute sata,
 29 Soror Honoris, medio celeres
 30 agit Olympo Fama jugales.
 31 Et qua vigilibus ardet aethra ocellulis
 32 historiae segetes Antoni nomina spargit,
 33 excepere sonos tubae crepantis
 34 Caeli militiae serenioris,
 35 et scintillivomi poli Quirites :
 36 Antonique honoribus
 37 una sudare laborant.
 38 Primus, astrorum face noctilucas
 39 qui flammis regit, Imperator aethrae,
 40 et nocticida Phoebus,
 41 splendidus radiante cohorte
 42 Antonii honoribus
 43 certatim sudare laborat.
 44 Obviat blando radiosa vultu
 45 argentea Imperatrix,
 46 Dieicida Luna,
 47 et lene fulgurantes
 48 advertens vultus, gemmei decus, inquit, Olympi,
 49 et noctiluci milites, caeli faces,
 50 lucis amores, noctis honores.
 51 Inter fulgura nominum,
 52 inter sidera Praesulum,
 53 inter lumina Principum
 54 Antonio decus apparate.
 55 Sudatur, itur, luditur
 56 Antonii honoribus.
 57 Mavors non rigida saevior aegide,
 58 hastaque crispisulca,
 59 sed innocente ludibundus ense,
 60 cui sub Tyrii tegminis ostro
 61 sonat aurata lynce pharetra,

62 Antonio primus fasces inclinat honori.
 63 Rutili sequuntur consules aulae ducem
 64 Martem, ac honori singulus facem ponit.
 65 Famulum votis Antoni tuis
 66 undique pluvio gravidum ab auro
 67 subministrat astra caelum ;
 68 spiceam Ceres coronam,
 69 Ditisque cornu copiam
 70 Amalthea, Orion arma,
 71 Astraea dat bilancem,
 72 currumque dat Bootes.
 73 Sed qua recurvis frondibus arcuant
 74 arbores ramos, viridemque tendunt
 75 fornicis umbram,
 76 caelestum brachia frondium,
 77 Domina vitae Parca recurrit.
 78 Hic meliores gloria portus
 79 sinuavit hospitalis ;
 80 Hic prima mellitissimi
 81 juvena, luxque temporis
 82 ver, temporum medulla,
 83 cui fronte stant vireta,
 84 et nigricant vaccinia,
 85 et purpurant roseta,
 86 inter ostra florulenta
 87 Helles raptorem paverat aureum.
 88 Cum famulatrices Antoni nominis ignes
 89 ire sequaci splendore videt,
 90 rapit Hellaei velleris ostrum,
 91 rapit aurati vellera dorsi,
 92 Parcarumque colos juncto superinduit ostro :
 93 unde pensa purpurata
 94 Antonio trahantur.
 95 Ducite longaevos, inquit, de vellere soles,
 96 canitiemque animi, et senium venerabile mentis :
 97 dum sonante vecta curru
 98 sibilantis inter aurae
 99 murmurilla buccinatrix
 100 fama per septem spatia colles
 101 celsa Romanas equitet per arces,
 102 et Vaticano in vertice ludens
 103 placeat apibus, Urbane, tuis.
 104 Sic Ver nobilioris anni Ephaebus
 105 imperat : et nostris accendit vota medullis.
 106 Ite Deae, lentumque precor devolvite pensum
 107 Antonio, o sidera.
 108 Illum purpureis choris
 109 Virtus misceat, et comes
 110 gloria, Romanis inscribat nomina fastis.
 111 Sic ego, sic votis animosa Vienna precatur.

AD HIERONYMUM ANDOLINVM. ODE XVIII.

A18 v.1 O vana spes mortalium !
 2 Caduca vota mundi !
 3 O labilis felicitas,
 4 vix nata, funeranda !

5 Quid longa votis saecula
 6 praevertis Andoline ?
 7 Canamque scribis Nestoris
 8 tibi senectam in astris ?
 9 Dolosus est horoscopus,
 10 qui pollicetur annos.
 11 Nec annus unus certus est,
 12 haec hebdomas, diesve ;
 13 nec hora certa est unica.
 14 Quo mittis, Andoline,
 15 avara vota saeculi,
 16 ignara vota mortis ?
 17 Fluunt, nec umquam refluent
 18 momenta trusa vitae :
 19 productioris eripit
 20 spem temporis volantum
 21 citatus ordo siderum,
 22 domesticumque bellum,
 23 quod nostra rodit viscera,
 24 quod ima siccant ossa.
 25 Nox una restat. Ibimus,
 26 sub sole quot meamus ;
 27 reges, Monarchae, rustici,
 28 et sceptrum, sarculique.
 29 Non praeterit sublimium
 30 mors vertices, nec imos :
 31 nec nomen urna regium,
 32 nec regias secures,
 33 nec sceptrum, dextrae lumina,
 34 nec purpuram veretur.
 35 Soccos cothurnis, sarculo
 36 Quirinae sceptrum miscet :
 37 miscet lacernis purpuram,
 38 et lauream cupresso.
 39 Postrema seu defloreat,
 40 seu prima vernet aetas :
 41 seu matrem nati regiam,
 42 seu Tityro parentem ;
 43 morti paramur sarcinae,
 44 et victimae sepulchro.
 45 Quodcumque nasci contigit,
 46 hoc funeri paratur.
 47 Soles venire conspicis,
 48 rursusque funerari ;
 49 caelo micare sidera,
 50 rursusque nubilari :
 51 obambulare flumina,
 52 fugamque concitare ;
 53 candere Paesti lilia,
 54 rosasque purpurare,
 55 marcere rursus lilia,
 56 rosasque vulnerari :
 57 Zephyros per auras ludere,
 58 Zephyros Notis repelli :
 59 veris venire gaudia,
 60 veris jocos perire.
 61 Quodcumque natum est, interit ;
 62 quodcumque venit, exit.

63 Cumaea nulli saecula
 64 severa Parca spondet.
 65 Momenta vitae singula
 66 mortis citant ad urnam
 67 rides ? Jocaris ? Risibus
 68 jocisque fata adurges :
 69 et dum putas te vivere,
 70 tunc moreris, Andoline.
 71 Haec ipsa lux, quam dividis
 72 cum Gratiis jocisque,
 73 haec ipsa, dum praetervolat,
 74 te raptat ad sepulchrum.
 75 Erramus inter gratias,
 76 erramus, Andoline ;
 77 nisi evolantis temporis
 78 ante occupamus horas.
 79 Dum res, et aetas, dum sinit
 80 faventis aura caeli,
 81 moriendo vitiis praeveni
 82 leti prementis horam ;
 83 et brevia vitae tempora
 84 virtutibus repensa.
 85 Qui dives est virtutibus,
 86 hic vixit in senectam.

In Funere Praenobilis Dominae ANNAE MAGDALENAE a SCHOLZEN. ODE XIX.

A19 v.1 Musa confuso vaga dithyrambo ;
 2 mitte nunc Horatiani
 3 jura nodi, barbitoque
 4 exlege funde lacrimas.
 5 Lentus dolor est, quisquis potuit
 6 capere frenos : quisquis certa
 7 lege frenari potuit, doloris
 8 nomina perdit.
 9 Excute frena dolor :
 10 Matri parento. Luctus, amantium
 11 suprema merces, solvitur.
 12 I, sine lege dolor.
 13 Anna (dolor vocem singultibus interrumpit)
 14 Mater (amor lacrimis ultima verba negat)
 15 occubuit Anna mater :
 16 occubuit rosa veris ardor.
 17 Ardore ab illo solus est cinis super.
 18 Est amiantum pectus amantum ;
 19 lege amianto, quisquis amasti,
 20 relliquias cinerum :
 21 non alia melius cinis hic tumulabitur urna.
 22 Caria sublimes suspendat in aethere moles,
 23 pendulaque Mausolaea :
 24 amianto amoris conditur
 25 funus amantis.
 26 Hic dolor, hic et amor parenta ;
 27 tumuloque aspergito flores.
 28 Si quod stemmaticis est folium super
 29 de rosis, Matris tumulo advolabit.
 30 Folium vento rapitur : non quo

31 gelidi inclementia caeli,
 32 aut Arctoa piger torpet prope plaustra Bootes.
 33 Folium vento rapitur : non quo
 34 Zephyritis inambulatur hortos,
 35 tinctusve pennas Galbano Favonius.
 36 Folium vento rapitur : vento
 37 Amoris ? An doloris ?
 38 Spirat Amor, spiratque Dolor, suspirat uterque.
 39 Uterque ventus est, Dolor et Amor.
 40 Utroque vento folia rapiantur rosae,
 41 amoris, ac doloris :
 42 Amor in vota, et Dolor in gemitus.
 43 Calida est Amoris aura,
 44 hac aura folium rosae feratur.
 45 Matris forte aliquis rursus serpet calor in me-
 46 -dullas amoris a calore,
 47 verna est Amoris aura :
 48 Rosa fors iterum hac vernabit ab aura.
 49 Rigida est doloris aura :
 50 hac aura in tumulum rosae ferantur.
 51 Adjungam lacrimas. Doloris aura,
 52 si congelascet, funeri vitrum dabit.

Ad Hymenaeum Dom. GEORGII NAGL, ET D. LUCRETIAE. ODE XX. EPITHALAMION.

A20 v.1 Fallor an aetherei trans Daedala moenia templi
 2 plaudit amor ducitque choras, et propter amoenos
 3 fontis Acidalii latices, ripamque beatam
 4 laeta cohors juvenum formoso pollice flores
 5 demetit, et niveo miscens candore rubores,
 6 aurea formosis superaddit floribus astra ?
 7 Audio : jam chordas examinat ungue Cupido,
 8 exercetque choras et carmine temperat exta.
 9 Age caeli amoena pubes
 10 per roseta, purpureta,
 11 et honora per vireta
 12 mete sarta, scinde flores.
 13 Hic, ubi dorso nobilis aureo
 14 fulgurat aries, rapite Hellaeae
 15 stamina lanae. Haec nostra decent
 16 fila corollas : alii centum
 17 ferte colores, ferte decores :
 18 de flore deque rore
 19 ocellulos Aurorae,
 20 de Cynthiae nitore
 21 argenteum labellum,
 22 de siderum rubore
 23 afferte purpurissum,
 24 de roris igne florem,
 25 de floris igne rorem.
 26 De Solis auro purpuram,
 27 de rorulento nectare ;
 28 de nectaris papillis,
 29 florum que de favillis
 30 tributa ferte sertis.
 31 Dixerat : ad vitreas Cytheraeae Doridas undae
 32 turba petulca salit, gremioque in gaudia pando,

33 igne coronatas promit spectacula scenas.
34 Pars nectunt crinale decus, pars tela propinant
35 arcubus, et Cyprio viduant ardore pharetras.
36 Pars legit ungue rosas, pars tortile flectit in orbem
37 argentum, florumque choros interligat auro,
38 et decus annexis addit roratile gemmis.
39 Tum praeit agmen Hymen :
40 jam purus, inquit, lucida siderum
41 caelo maritat Vesperus agmina.
42 Flammaeque stellarum resurgunt.
43 Jam luna noctis in meridie
44 agit choreas Astricas,
45 et plena Solis ignibus
46 noctis legit papavera :
47 aura mitis , aura dulcis,
48 suavis artifex voluptae,
49 architecta Gratiarum,
50 ridibunda, ludibunda,
51 ridet, jocatur, lusitat.
52 Dignam triumpho sume superbiam
53 pubes recenti, tempora lumine
54 redimita plaude,
55 blando soluta risu
56 dulces ini choreas
57 Georgio et Lucretiae :
58 accende taedas nuptiales
59 Georgio et Lucretiae.
60 Ite chori adductum, nervis intendite cornu
61 Georgio et Lucretiae.
62 Nectite permistis lilia cana rosis.
63 Vivat ille, vivat illa,
64 vivat ab utroque
65 generosa proles,
66 paterni nominis haeres,
67 maternae mentis et haeres.
68 Vix ea dicta dedit, plausu exiliere cohortes :
69 pars cytharae titillat ebur, pars voce canorum
70 intonat et cogit veteres in carmina lauros.
71 Audio : languentem circum mea tempora laurum,
72 aptam fingo metris atque inter gaudia Divum,
73 veterem salire jubeo
74 in vota dithyrambum,
75 pergite qua signis radiat Lucina cupitis,
76 vobis avitae stirpis optatum decus,
77 spes sanguinis, lux nominis,
78 pignus Amoris, vena leporis,
79 inter Matris brachia ludat,
80 unde ridens, et renidens,
81 Gratiarum ab imbre crescat,
82 materna virtute nitens, virtute paterna
83 fulgidus, in quem cum sua lumina verterit omnis
84 series nepotum posterorum dicet :
85 Hic vera effigies Patris est, hic Matris imago.

AD CONVICTORES VIENNENSES. ODE XXI. In funere DIONYSII AMBSHAMER...

A21 v.1 O fata terris invida ! O nostri nimis
 2 avida doloris sidera !
 3 O cruda mortis jura ! Protritus jacet
 4 flos ille, dignus Nestoris
 5 videre canos ! Illa magnanimi indoles
 6 attemperata pectoris !
 7 Calor ille vivax ingeni ! Verae sitis
 8 virtutis avida, spiritus
 9 ad magna natus ! Innocens mentis vitrum,
 10 animique candor limpidi,
 11 morum venusta forma, maturus tenor,
 12 testis pudici pectoris
 13 vultus modestus. Invide o mortis rigor !
 14 Si nostra gaudes funera
 15 cumulare, nostra caede si vivis ; rape
 16 propudia primum saeculi,
 17 et proba terrae, generis humani lues,
 18 reique damna publicae :
 19 quos mundus odit, quos reluctatur dies
 20 puro videre lumine.
 21 At innocenti parce, quem dignum facit
 22 virtus Sibyllae pulvere.
 23 Hac lege caeca graderis, ut ferias probos,
 24 et improbos pertranseas ?
 25 Sed quo lupatis impotens ruptis dolor
 26 vos, o Sodales abripit.
 27 Resume frena luctus, et motum doma
 28 exulcerati pectoris.
 29 Morti, Sodales, parcite. Erravit prior
 30 natura, juveni cum dedit
 31 mores seniles, lumen excelsum ingeni,
 32 maturitatem consili.
 33 Et insequentis temporis lentas moras
 34 praegressa virtus, miscuit
 35 gravem senectam floridae aetatis rosae.
 36 Decepta mors est. Viderat
 37 mores adultos juvenis, et senem rata,
 38 carpamus, inquit, fructus est
 39 maturus astris. Dixit, et telum exerit,
 40 signatque pectus vulnere.
 41 Occumbit ille vulnere : juvenis, dies
 42 si censeamus temporis,
 43 vitaeque spatia : merita si numeres, senex.
 44 Solamen hoc sit luctui.

AD GEORGIUM GEREBINIVM. ODE XXII.

A22 v.1 Sic mentis expers sana consilia excutis ?
 2 Et quae placebant, displicent ?
 3 Sic exsecraris vota, quae caelo tibi
 4 non ambigebas indita ?
 5 Quo fervor ille exaestuans, quo corrui
 6 generosa flamma pectoris,
 7 qua per subactos orbis infidi dolos,
 8 calcata per fastigia

9 adblandientis gloriae, victor tui,
 10 Honoris, et Cupidinis,
 11 fastusque victor, ire gaudebas, tuo
 12 vitam daturus numini ?
 13 Memini diei, quando dicebas : "Mare est
 14 infame mundus, quod tumet
 15 Aquilone verberante, quod rapitur Notis,
 16 fluctusque tundit fluctibus :
 17 cui fida numquam sidera e caelo micant.
 18 Hic se Charybdis gurgite
 19 septuplicato volvit, et sorbet rates ;
 20 hic Scylla dentes asperat,
 21 latusque cincta canibus horrendum latrat,
 22 belloque dubias spumeo
 23 naves fatigat : pendulo hic saxo obvium
 24 latus Malaea porrigit,
 25 Symplegadesque sidera laccessunt jugo
 26 semper minante. Si levis
 27 quandoque se Favonius ponto inferat ;
 28 aut lusitent Etesiae,
 29 Zephyrique blanda misceant rixa mare ;
 30 brevis voluptas exitu
 31 lacrimabili pensabitur. Nolo mea
 32 huic vela ponto credere :
 33 nolo speciosa damna ludentis freti,
 34 quod in procellas horula
 35 miscabit una. Vidimus eodem rates
 36 loco sepultas, quo jocos
 37 ventis serebant. Tenue momentum interest,
 38 inter jocos et funera.
 39 Mors instat, urget hora, momentum breve
 40 mentita tollet gaudia.
 41 Ite, ite mentis compedes, cordis rotae,
 42 durae catastae pectorum,
 43 speciosa damna spiritus, opes, honor,
 44 purique durus carnifex
 45 animi, voluptas. Ite ; me lenis quies,
 46 et dulce mentis otium,
 47 saeve imperantis evocat fluctu maris.
 48 Ibo, ibo ; quo vocor, sequar.
 49 Huc me citavit ille, quem stellae pavent,
 50 cui obsequuntur sidera,
 51 qui nube torquet fulmina, et rigidis solum
 52 terret cometis subditum ;
 53 qui querna olim fixus in trabe voluit,
 54 ut viverem, pro me mori.
 55 Huc illa Virgo, cujus ad sacros tholos
 56 me dedicavi victimam.
 57 Ibo, ibo, quo me Numinis nutus vocant.
 58 Hic crimen est, lente obsequi.
 59 Haec tu : sed olim. Nempe cum ratio suo
 60 serena staret in loco.
 61 At nunc (quod oculos fascinum et mentem ligat ?)
 62 Nunc, quae placebant, displicent.
 63 Nunc ille pontus hortus est ; illud mare
 64 est scena Gratiarum,
 65 Charitesque sunt Symplegades ; pericula
 66 sunt tuta sedes otii.

67 Sequeris Charybdim, amplecteris Scyllam, colis
68 Ceraunia et Capharea
69 minata saxa nubibus. Nullum vides,
70 et laetus in periculum
71 te fundis omne. Sponte (quis animi furor ?
72 Quae mentis haec vesania est ?)
73 Sponte obviantis gratiam portus fugis.
74 Demergerisque fluctibus.
75 Placet exsecratus gloriae vultus, placent
76 mentita mundi gaudia,
77 roseta amoena Cypridis, ludi et joci
78 licentiosae Gratiae.
79 I, perge stulte : sequere vesanum impetum.
80 Qui te praeibat gratia,
81 sequetur ultor fulmine exserto Deus.
82 Meretur ille fulmina,
83 qui gratiam proculcat. At avitam tamen
84 piscare ponto gloriam,
85 tuosque praeda veniat in casses honor.
86 Et lena Cypridis gratia,
87 et quidquid auri gleba Pactoli rotat,
88 Erythra quidquid excoquit.
89 Ubi te beatum dixeris, ibi miser eris.
90 Hora frueris gaudiis,
91 tota perennitate supplicium dabis.
92 Instabit hora, quae tuae
93 vitae theatrum claudet, et scenam exuet.
94 Quae tunc seres inanibus
95 lamenta ventis ? Nostra, tunc dices, procul
96 erravit a portu ratis.
97 O saeva cordis vipera, voluptas ! Mei
98 Stygium o venenum pectoris,
99 dolosa Circe ! pestilens Siren ! Charis
100 inamoena proles Tartari !
101 Ductus per omnes animus errorum vias,
102 ubi medullas gaudii
103 quaesit anhelus, reperit exitium. Cadunt
104 unius horae lilia,
105 unius horae gloria emarcet, rosa :
106 brevique tumulo clauditur
107 delusa spes honoris, et famae ambitus.
108 Fictis fruebar gaudiis ;
109 vero dolore lancinor : quamque ambii
110 illimis undae guttulam,
111 reperire numquam licuit. In votis stetit
112 exacta vitae linea ;
113 res est negata semper. Ambivi omnia,
114 nihilque tenui. Finis est,
115 ubi nec initium gaudii inventum est. Perit
116 mihi resque, spesque, et omnia.
117 O stulta vota ! Melius, ah ! melius foret
118 latuisse parvo sub lare,
119 tenui salino, et fontis illimi vado
120 jugulasse latrantem famem,
121 sitimque ; et atrae pecudis exuviis, rei
122 texisse membra corporis.
123 Sic flebis olim. At sero. Contemptum bonum
124 lamenta sera provocat.

125 Ergo beatus, qui procul negotiis,
 126 solutus omni turbine ;
 127 nec saeva ponti jurgia expertus, suo
 128 vacare potuit otio !
 129 Quamvis latenti vita per tacitum fluat,
 130 leto obviabit tutior.

IN OBSTINATOS DEI CONTEMPTORES ODE XXIII. DIRAE.

A23 v.1 Rigidi furores aemulor vates Dei :
 2 quaeque impiato vertici
 3 paravit ille fulmina et poenas, precor
 4 licet vovere, quod Deus
 5 patrare statuit. Quando durato imminet
 6 timendus aether vertici,
 7 ic velle, quod vult Numen, in laudem venit.
 8 Diras scelestis occino :
 9 non quos patrati criminis pudor tenet,
 10 errasse quosve paenitet ;
 11 sed quos adusque funus, ac ultra suum
 12 vitae cadentis terminum
 13 ire obstinato pectore inhonestam juvat
 14 sceleris pudendi semitam.
 15 In hos severum detono. Audite o Stygis
 16 umbris sepulti carceres,
 17 funesta regna Tartari, et Averni lacus
 18 piceo liquati vortice,
 19 Lethaea stagna, Manium sontes lares,
 20 horrenda noctis patria !
 21 Huc quidquid illaetabile, et quidquid ferum,
 22 et quidquid implacabile
 23 Orcus profundo genuit in flammis satu.
 24 Orbi obstinato immittite.
 25 Huc huc cruentum dira Furiarum cohors
 26 librate flagrum, huc vindices
 27 taedas rotate ; huc anguibus saevas manus
 28 in pervicacem vertite.
 29 Quem non benignus Numinis traxit favor,
 30 hunc vindicantis conterat
 31 severa Nemesis. Tenuit iratum hactenus
 32 suspensa fulmen dextera,
 33 ultioque lenta laneo repsit pede.
 34 Nunc tela toto pondere
 35 librentur axe ; propera vindicta urgeat,
 36 capitique semper vindice
 37 instet lacerto, funus extremum improbo
 38 animo datura. Si tamen
 39 adhuc benignus protrahat vitam polus,
 40 et pertinace crimine
 41 lacessere astra pergat ; in tenebras eat
 42 revolutus axe Cynthius,
 43 aut se caducis curribus mergat Tago
 44 numquam ministram crimini
 45 facem daturus : Luna praecipites polo
 46 bigas revolvat : sidera
 47 benigna numquam luceant ; aurae meris
 48 paveant Cometis : impio

49 ferale solum fulminis telum micet.
 50 Si per remotos institor
 51 fluctus natantis urgeat molem ratis
 52 avarus auri ; tortili
 53 gyro charybdis obviet, et hiantem sinum
 54 pinu vorata adimpleat ;
 55 Scylla allatratu terreat, fluctus agant
 56 mixtum procellis ; Cyanea et
 57 Capharea juga navis impacta in latera
 58 compage solvant : Circius
 59 apeliotae pugnet, et Boreas Noto,
 60 mediaque pugna naufragus
 61 desaeventi Nereo in praedam cadat.
 62 Si flava campis erigat
 63 Ceres aristas ; grandine Orion premat,
 64 exurat igne Sirius,
 65 vel Mars superbo calce depositam terat.
 66 In horreum Diespiter
 67 repetita tela nubibus ruptis agat.
 68 Si pampinis circumscita
 69 vireat corona collium, et vites gravi
 70 spe nectaris corrident ;
 71 pluviis inundet Jupiter nimbis solum,
 72 nubifragiisque diluat ;
 73 vel sub calente Sirii ardentis face
 74 irrumpat Ursa Parrhasis,
 75 et quam virentes nectaris vites dabant,
 76 pruina spem praemordeat,
 77 si gravida mensa dapibus aggestis gemat,
 78 natentque Iaccho pocula ;
 79 cibus in chelydros abeat, in glaciem merum
 80 in viva utrumque toxica :
 81 mediusque dapibus Tantalus fameat novus,
 82 interque sitiatur pocula ;
 83 aut aestuantem toxico serpentium
 84 famem sitimque temperet.
 85 Numquam serenus ingruat capiti dies,
 86 aut radius omnis flamma sit.
 87 Numquam benignae filius noctis sopor
 88 indulgeatur corpori :
 89 Quies rogetur semper, at semper tamen
 90 fessis negetur artibus.
 91 Soboles parentem laniet, et sobolem pater
 92 trucidet ; ipse carnifex.
 93 Exasperata iurgiis conjux viro
 94 saevo ungue lumen eruat ;
 95 aedesque lite conjugum semper sonent,
 96 aut filiorum caedibus.
 97 Elementa rumpant foedera. Excussum solum
 98 immugiente viscere
 99 lapsus minetur turrium, et dubium pedem
 100 fugiat : hiantis faucibus
 101 diffugiat aurae spiritus : flammae latera
 102 totumque corpus ambient.
 103 Quocumque spectat, Tartari larvae obviant :
 104 quodcumque tangit, sulphuris
 105 ardore cruciet : quidquid auditu capit,
 106 tonitrua sint, vel fulmina :

107 quodcumque nari pabulum quaerit, magis
 108 Stygia mephiti foeteat.
 109 Haec si volantem scelera non sistunt, potest
 110 Orco sacrari victima.
 111 Meruit perire, quisquis in Deum reus
 112 abutitur clementia,
 113 sceleraque sceleribus addit, et numquam satur
 114 gaudet Deum contemnere.
 115 Nihil illi amoenum fluere, vel laetum potest,
 116 felicitatis unicam
 117 quicumque venam obturat, et veram sibi
 118 claudit bonorum originem.

AD IESUM CRUCIFIXUM. ODE XXIV. Poetae lamentatio.

A24 v.1 Tuo advolutus numini amplector crucem,
 2 quam lividis hinc brachiis,
 3 atque inde dimetiris o animae anima,
 4 meique amoris o amor,
 5 moriture Jesu ! Nullus hinc memet furor
 6 insanientium hostium, aut
 7 crudelitatis barbarae, nullae minae,
 8 nullus revellet impetus.
 9 Non festa mundi pompa, non Cypridis joci,
 10 non blandientes Gratiae.
 11 Hic oscitantes vulnerum plagas colo,
 12 hic sanguinem deoscolor.
 13 Non tibi, sacrilege proditor, latro Dei ;
 14 et innocentis carnifex ;
 15 neque tibi, turba perfida, indignor ; mei
 16 quae lancinasti Numinis
 17 manus, pedes, latusque ; quae corpus flagris
 18 delineasti immitibus.
 19 Si quae reposta est poena latroni impio,
 20 haec poena debita est mihi.
 21 Ego tigris illa Caspia, ego ferus leo,
 22 ego pardus ille barbarus,
 23 qui tibi probroso vulnere e venis sacrum
 24 suxi cruentus sanguinem :
 25 ego asperavi milites ; ego addidi
 26 rigido metallum pectori,
 27 ut per flagella, et verberum pondus grave
 28 animam latentem quaererent
 29 adusque fibras ossium. Ego gravem tuis
 30 aculeum spinis dedi,
 31 quae fossa tibi per tempora in cerebri trahunt
 32 imos recessus vulnera.
 33 Ego illa Lypara infausta, quae clavos tuis
 34 manibus trabales prodidi,
 35 qua riguit hasta, pectoris itura in sinum.
 36 Ego crudus ille carnifex,
 37 qui fabricavi funeri extremo crucem ;
 38 qui te peremi. Sistor hic
 39 acciduus orno, pendulo supplex Deo.
 40 At heu ! loquuntur vulnera,
 41 vetusque crimen exprobrant : hic tu impie
 42 sperabis indulgentiam ?

43 Ubi manifestum sceleris indicium tui
 44 per tot patescit vulnera ?
 45 Tu clariorem solibus vultum, et oculos
 46 sereniores sidere
 47 sputo impiasti ; tu flagellorum gravi
 48 pondere onerasti tergora :
 49 tu mihi manus, pedesque terebrasti ; latius
 50 tu pertudisti lancea.
 51 Per te, sacrilege, frontis innubis dies
 52 aculeis inhorruit.
 53 Et impie audes (pro nefas !) audes tuo
 54 sperare veniam crimini ?
 55 Audeo, benigne Christe ! Non est hoc reis
 56 tribunal implacabile :
 57 tribunal est clementiae. Ut causae meae
 58 hic consulas, sententiam
 59 in te tulisti mortis, et iudex licet
 60 sedeas, patrem non exuis :
 61 clementiaque et gratia enervas gravem
 62 severitatis dexteram.
 63 Non, non recedam. Stat mori tecum, Deus.
 64 Arbore sub ista spiritum
 65 liceat supremum fundere, et amatae crucis
 66 gratis mori in complexibus.

AD BEATISS. VIRGINEM MARIAM. ODE XXV. Quod Eva tristis abstulit,...

A25 v.1 Sic est : Tonantis gratia e spinis rosas,
 2 gemmasque de luto trahit.
 3 Ubi prius hominis grande abundavit scelus,
 4 nunc superabundat gratia.
 5 De nubilo serenitas, de turbido
 6 amoenitas, de tristibus
 7 jucunditas, de turpibus formositas,
 8 de lugubri felicitas,
 9 de flebili festivitas, de funere
 10 amoena vita ducitur.
 11 O triste portentum Eva, morientum parens !
 12 Quae Gratiarum patriam
 13 serpentis antrum fecit, et scelere prius
 14 suos peremit, quam in diem
 15 eniteretur filios ; prius dedit
 16 tristia sepulchro funera,
 17 quam amata Matri gaudia. Geminum suis
 18 dedit illa damnum posteris ;
 19 artem pudendam criminum, atque animae necem.
 20 Mores parentum in filios
 21 facili meatu transeunt. Esse impios
 22 docuit parens nos impia, et
 23 Deo rebellis ; quando prohibitam patri
 24 porrexit escam. Scilicet
 25 ab hoc malum omne prodiit malo : gula
 26 haec degulavit omnia
 27 felicitatis omina. Hinc morbi, hinc lues,
 28 seriesque densa pestium ;
 29 hinc saeva bella, pectorum hinc tortor metus,
 30 vermisque acerbus mentium.

31 At tu innocente purior Virgo die,
 32 astrisque claris clarior,
 33 viventiumque Mater, et vitae parens,
 34 felicitate duplici
 35 gemina rependis damna, quae tulit prior.
 36 Exempla morum candida
 37 sunt nostra vitae regula. Antiquo licet
 38 sis genita Patrum stemmate,
 39 quod impiavit Eva ; tu prodis tamen
 40 rosa, sine spina ; lilium,
 41 sed absque dumo ; Luna, sed sine macula ;
 42 sine nube Sol purissimus.
 43 Tu, Diva, Fructum pendis in vitam novam,
 44 cujus medulla nectar est ;
 45 quo vita constat, quo Salus Mundi latet ;
 46 quem et esurire gaudium est,
 47 summa est edere felicitas. Sic fenore,
 48 quod Eva tristis abstulit,
 49 majore, Virgo, reddis. Et te non amem ?
 50 Te, Virgo, si non diligam,
 51 peream : Acheronti victima suprema immoler,
 52 te, Virgo, si non diligam.

AD FLORINUM ROSIUM, IUVENEM NOBILEM, sed inertem. ODE XXVI.

A26 v.1 Florine, quantum gratiam ingenii vales,
 2 idoneique pectoris
 3 praevertis alios dotibus ; tantum jaces
 4 ridendus aliis otio
 5 inertis animi. Nemo, si par sit tuae
 6 capacitati industria,
 7 feliciore sacra Musarum juga,
 8 doctoque cultam Appollini
 9 cursu tenebit patriam : nemo prior
 10 ad erudita frontium
 11 praemia volabit. Tu potes, velis modo,
 12 omnes mereri laureas,
 13 omnes tenere : tu potes gratae omnia
 14 haurire Suadae flumina,
 15 et nunc liquentis eloqui placido vehi
 16 blandus susurro ; nunc rapi
 17 torrentis instar impetu. Quidquid Stoa,
 18 Stagira quidquid occulit,
 19 tu trahere pulchram mentis in lucem potes,
 20 et eminentem gloriae
 21 apicem in volare : quamque majores tuo
 22 laboriosi stemmati
 23 famam pararunt, laude tu potes nova
 24 illustriorem reddere.
 25 Peracta. Res est, si velis. Sed te stupor,
 26 inersque mentis otium,
 27 segnisque marcor, languidus stringit sopor,
 28 animique turpe vinculum,
 29 ligat veterenus. Effluunt horae et dies,
 30 menses et anni ; nil agis.
 31 Florine, non hoc vivere est : hoc est mori.
 32 Probatur actionibus,

33 non languido vita otio. Qui nil agit,
 34 Florine, nil agit bene.
 35 Nec continere dexteram immunem mali
 36 tibi satis esse existima.
 37 Ipsum bonum negligere est ingens malum.
 38 Labuntur anni volucris
 39 praetervoluti cursibus ; melior abit
 40 aetas, fugacis temporis
 41 secuta pennas ; nec pedem curat retro
 42 flexisse, vel meantium
 43 cursum vetare temporum ; nec se prece
 44 horae impediri sustinent.
 45 Qualis abeuntem fistula incassum vocat
 46 bubulcus Istrum : surdus est ;
 47 undamque semper unda posterior premit,
 48 secumque naves abripit :
 49 talis abeuntis temporis rapax meat
 50 fluxus, teneri nescius ;
 51 secumque vitae floridam partem trahit
 52 idoneam laboribus.
 53 Florine, quando bruma spargetur comis,
 54 nivesque senii tempora
 55 matura stringent ; quando lassatos tremor
 56 senilis artus diruet,
 57 propiorque morti funeris summam tui
 58 gemes adesse lineam,
 59 an tunc placebunt otio exacti dies,
 60 et vita trita inertia ?
 61 Sapientis est nunc facere, quod factum voles.
 62 Ante inchoandum est : quam exitus
 63 te forte praeceps urgeat. Vesania est
 64 incipere velle, terminus
 65 cum jam supremus instat. Horam pondera,
 66 Florine, praesentem, et trucem
 67 assuesce vultum cernere laboris, tibi
 68 dum vernat ore floridus
 69 vigor juventae. Sic statuit olim Deus,
 70 senii ut quies laboribus
 71 juventae ematur ; dumque fervescit calor,
 72 caleant negotia ad otium.

AD D. BALTHASAREM PFRVNDT. ODE XXVII.

A27 v.1 Assueta labi sidera
 2 versatilesque stellae,
 3 meantiumque temporum
 4 fugax vicissitudo,
 5 donate stellis otium
 6 horoscopis quietem.
 7 Audimur ! At quae me tenet
 8 hic regio ? Quod mapale ?
 9 Quae scena me ? Caelestium
 10 Hic se chorea vocum
 11 effundit ; et tenellulus
 12 feno reclinis infans
 13 vagit, gemitque frigidus
 14 ad Circii furores.

15 Hic stella tectis incubat,
 16 ridetque, nictitatque ;
 17 nec se movet, nec se sinit
 18 rapi volante caelo.
 19 Agnosco fata siderum,
 20 horoscopi favorem.
 21 Tibi stella servit Balthasar,
 22 tuosque signat annos.
 23 Dum stat moveri nescia,
 24 tuos moratur annos.
 25 Stat illa, vita stat tua
 26 oblita provolare.
 27 O fausta sideratio !
 28 O sideris favores !
 29 Hoc nasceris tu sidere,
 30 quo Christus ipse natus.
 31 I, quaere nunc horoscopum
 32 faustumque candidumque,
 33 quo pendeat felicitas,
 34 quo faustitas ligetur :
 35 horoscopus natalibus
 36 idem est tuis, Deique.
 37 Horoscopis expendere
 38 si fas tuos sit annos ;
 39 tuos Dei annis, Balthasar
 40 dimetiemur annos.

AD NOBILEM IUVENTUTEM. ODE XXVIII. In funere Illustrissimi Adolescentis

A28 v.1 Lugete tandem Gratiae, assuetae hactenus
 2 ridere Divae. Praeficas
 3 hoc funus alias non amat. Demarcuit
 4 flos ille, vestra gloria,
 5 Ignatius demarcuit, vester labor :
 6 in cuius omnes Numina
 7 fudere pectus gratia ; clarum genus
 8 ductum vetusto ab Inacho,
 9 cum genere genium nobilem, ac avis parem,
 10 ad magna natum, Palladi
 11 Martique quondam idoneum ; sago et toga
 12 rei labantis publicae
 13 grave subiturum pondus ; ingenium calens
 14 capaxque rerum ; fervidum
 15 honesti amorem ; calcar ad bonum, sitim
 16 virtutis aequae ac gloriae.
 17 Cui vos in ora nectar, in genas rosas,
 18 in labra dedistis purpuram :
 19 cui caelum in oculos sidera, in frontem aureae
 20 serenitatis lineas,
 21 pulchrique radios Solis in crines dedit.
 22 O cruda Mors ! quam flectere
 23 nequiere tantae gratiae, tantus decor
 24 animi movere. Caeca Mors !
 25 Quae non vides hoc funere ingentem patris
 26 et sanguinis spem occumbere,
 27 columenque magnae stirpis, et quondam sui
 28 magnam columnam stemmatis.

29 Iniqua Mors ! quae flore praecerpto invides
 30 maturitatem fructui.
 31 At vos, benignis Gratiis nati, quibus
 32 adhuc juventa bulliens
 33 sanguis ; parentum vota, spes generis, dies
 34 et longa spondent saecula,
 35 credite juventae parcus : flores cadunt,
 36 et ante fructum defluunt.
 37 Vernare multis licuit ; at paucis dies
 38 ducere perennes. Quo bona
 39 plura numeratis, hoc magis cauti bona
 40 tenete. Paucis contigit
 41 felicitatis saeculum. Magna et diu
 42 Fortuna raro constitit.
 43 Quodcumque fata patitur, et mori potest,
 44 hodie obiturum credite.

AD PHILIPPUM TARINUM. ODE XXIX.

A29 v.1 Venamur avidi gaudia ; et nusquam obviat
 2 desiderata faustitas.
 3 Adolescimus, senescimus ; et umbris meris
 4 cupiditatem pascimus.
 5 Sublime quiddam est gaudium : mentis quies,
 6 limesque sollicitudinum,
 7 cupiditatis funus, amplexus boni,
 8 et mors avarae indaginis,
 9 fruentis unicum satis. Male hoc tibi,
 10 Philippe, fingis atria
 11 fumosa subter gloriae, et vacui graves
 12 arcus honoris degere,
 13 male fingis inter gemmea undantis Tagi
 14 inambulare flumina,
 15 interque vitreos Cypridis enervis jocos,
 16 quos una confringet dies.
 17 Divinitatis regula mens fabricat
 18 solo repletur Numine.
 19 Quaecumque spectas, quaeque dignaris boni
 20 nomine vocare, surrigant
 21 tumefacta frontem, specia dilatent sui,
 22 quantumque possunt, occupent :
 23 nulla tumoris mole replebunt satis
 24 capacitatem pectoris.
 25 Suo Gigantis calceum manus pede
 26 non aequat : una guttula
 27 non implet evagantis Oceani alveum.
 28 Quaecumque adoras, parva sunt,
 29 si mentis amplae nobilem expandas sinum.
 30 Cupiditatum terminus
 31 immensa res est ; quae meretur, et potest,
 32 et sola debet appeti.
 33 Per rerum oberras angulos, semper vagus,
 34 numquam reperturus bonum,
 35 verique fontem gaudii. Quae tu putas
 36 tua otia, tua gaudia ;
 37 via sunt ad ipsum gaudium ; non gaudii
 38 materia digna, non quies.

39 Hinc ambientem lancinant. Lassant, coquunt,
 40 et alterius urunt siti.
 41 Quod restat illud occupa instanti pede ;
 42 et sic, Philippe, per viam
 43 decurre, semper terminum ut alium scias
 44 restare, quo gradum urgeas.

AD CAROLUM RINOTIVM. ODE XXX. Expectare sinistram sortem...

A30 v.1 Sortem faventem metue, ferientis doma
 2 tragicum furorem, Carole.
 3 Si blandientes prosperae caveas dolos,
 4 numquam timebis asperam.
 5 Qua ridibunda nictat, hac ferit gravis
 6 Fortuna. Quando te sinu
 7 secunda portat, praevide instantem gravi
 8 casum ruina. Quando pax
 9 serena blandos explicat frontis jocos,
 10 tunc bella propius intonant.
 11 Quando modesto Nereus somno jacet,
 12 tunc moliuntur proelia
 13 Boreas Notusque, et omnis Aeolii specus
 14 incola refracto carcere.
 15 Vis insegundam vincere ? Expecta malam,
 16 quoties secunda fulserit.
 17 Nihil sinistrum occurrit expectantibus.
 18 Haec vita stadium est : vulnera
 19 plagasque mente concipe. In stadio aemula
 20 Fortuna dextram conserit.
 21 Si saevientis tela praevideas, cadit
 22 inanis ira verberis.
 23 Plerumque gravius vulnerat, quidquid novum est,
 24 et imparatis advenit.
 25 Sic ergo sorti, Carole, insulta : suas
 26 sinistra vires colligit ?
 27 Expecto. Adornat saeva torquendi modos ?
 28 Expecto. Spicula undique,
 29 undique pericla glomerat ? Expecto. Patrum
 30 instat opulentis praediis ?
 31 Expecto. Patrimonium, atque arcas graves
 32 auro sepulto concutit ?
 33 Expecto. Partae gloriae atavorum imminet ?
 34 Expecto. Membra corporis
 35 invadet aegritudine ? Expecto. Suis
 36 artus revellet artubus ?
 37 Expecto. Quidquid saeviens furor potest,
 38 et quidquid insolentia,
 39 praevideo cautus. Sic metum facile opprimes,
 40 dum adhuc minatur eminus :
 41 sic et dolorem comprimes, dum jam prope
 42 sortis ferit vesania.
 43 Quod si dolosa parcat, et nullum tibi
 44 Fortuna vulnus adferat ;
 45 nihil inde perdes : facile jacturam mali
 46 patieris. Imo purius
 47 emerget inde gaudium, si quae metus
 48 prudens notabat vulnera,

49 suspendat ira sortis, et mentem arduam
50 non audeant accedere.

Ad Augustissimum Romanorum Imperatorem LEOPOLDUM. ODE XXXI.

A31 v.1 Cadat probroso victima funeri,
2 qui turpi diadema
3 et frontis jubar aureae
4 foedare gaudet crimine.
5 Crudelitatis sceptrata rapacius.
6 funus extinguat, celerique telo
7 mors occupet ferociam.
8 Par est perire sceptrata, quae male imperant.
9 Moribus interitum
10 regum turpis inertia
11 adducit : feritas Principis, otia
12 turbat publica civium :
13 foeda libido
14 Caesaris, ingenui leges exstinguit honesti.
15 Sit ergo nullum, vel breve imperium mali.
ANTISTROPHE.
16 Vivat superstes gloria saeculis
17 incorrupta futuris
18 regum ; quos populis favor
19 commendat, et clementia.
20 Benignitatis sceptrata secundius
21 protrahunt aevum, cupidumque lenta
22 subeant olympum sidera.
23 Durare par est sceptrata, quae bene imperant.
24 Mores urbium alit
25 regis grata benignitas ;
26 et pacis studium publica civium
27 servat munera in otio.
28 Regis honestas
29 est populis frenum, pulchrumque infundit amorem.
30 Sit ergo longum Regis imperium probi.
STASIMUS.
31 Talis Caesareo caput
32 sole succinctus, Leopoldo, fulges,
33 proculque submoto furore
34 impurique Cupidinis
35 ardoribus, aureum
36 diem serenis vultibus recludis.
37 Hinc lenta sceptris saecula defluent ;
38 tardumque meritis sidus accedes polis.
39 Ut malus Imperium
40 rex longum habere non potest :
41 sic claudi imperium temporis orbita
42 non patitur breviora virtus.

CARMEN SAECULARE Ad Collegium Viennense Societatis IESU. ODE XXXII.

A32 v.1 Imperatorum labor, eruditae
2 Palladis castrum, celebris bonarum
3 artium nutrix, sapientiaeque
4 prodiga Mater,

5 o domus ! Primus cui Ferdinandus
 6 incolas legit ; cui Ferdinandus
 7 alter aeternum decus arrogavit,
 8 tertius auxit ;
 9 saeculum explesti. Senior videri
 10 si potes, debes melior videri.
 11 Vera nam semper fugiente crescit
 12 tempore virtus.
 13 Purus ut Titan medias in umbras
 14 visa prodire es : temulenta namque
 15 haeresis falso, decupla tegebat
 16 nocte Viennam.
 17 Hic tibi primi steterunt labores,
 18 haereses stricto laniare telo,
 19 frangere errores, decus arrogare
 20 Numinis aris.
 21 Vidimus, quantas animosus ille
 22 pectoris flammam glomerabat ignis,
 23 certus umbrosam irradiare sacra
 24 luce Viennam.
 25 Vidimus, quanta furibunda traxit
 26 castra Lutherus rabie : nec inde
 27 vis tibi fracta est animi, nec altae
 28 gloria mentis.
 29 Proeliis crevit bene destinatis
 30 fervor ; ardorem dedit ipsa pugna.
 31 Qui stetit contra, nova suasit arma,
 32 hostis, et iras.
 33 Concidit fausto labefacta bello
 34 haeresis : circum jacuere longo
 35 ordine errores, vitiosa foedi
 36 semina partus.
 37 Quodque bellantum stetit acre saevo
 38 agmen in campo, posuit tumorem ;
 39 deque porrecta cecidere dura
 40 cornua fronte.
 41 Sparsa dehinc virtus, niveaeque candor
 42 mentis interpret, studiosa legum
 43 cura, formosus pudor, et modesti
 44 gratia vultus :
 45 veritas nuda genuina fronte,
 46 nescius fuci color aequitatis,
 47 aurei mores, veterumque plana
 48 orbita Patrum.
 49 Integer vitae tenor, otiumque
 50 nil procellosi metuens tumultus,
 51 civium concors studium, quietae
 52 pacis amores.
 53 Hinc fugam verso rapuere tergo
 54 Ira, mordaci rabiosa dente,
 55 saeva libertas, juvenum feroce
 56 vecta calore :
 57 invidus livor, nimium secundis
 58 anxius rebus, furor entheatus
 59 pectorum, et recti timor, et dolosa
 60 fronte Cupido :
 61 Tantali numquam satiatus auri
 62 aestus affluxu, patriique gurgis

63 luxus argenti, nimiumque avarus
64 Numinis ardor.
65 Quidquid et diro vitiosa partu
66 stagna Cocyti genuere, matre
67 quidquid effudit Phlegethon Megaera
68 noctis ab umbris.
69 Ista nativo speciosa cultu
70 Svada suggessit populo, et triumphos
71 haeresi fracta tulit eloquentis
72 gratia linguae.
73 At per exemplum gravius locuta
74 corda strinxisti, validisque factis
75 verba supplesti, et docuisti agendo
76 regulam agendi.
77 Civium assensum rapuere verba :
78 facta consensus pariter videntis
79 Urbis exceptit. Gravius per acta
80 Svada perorat.
81 Tertius doctae studium Minervae
82 est labor. Quanta jacuere nocte
83 conditae Musae prius, et sepultus
84 Phoebus in umbris !
85 Carminum praeses resupina Clio
86 egit ignavas sine luce noctes
87 barbito abjecto, citharaeque fractis
88 languida nervis.
89 Hippocrenaei nihil hic susurri
90 Virgines inter resonabat undas ;
91 Pegasi fontes taciturna limo
92 sponda premebat.
93 Svada, formosum lacerata vultum,
94 flebat ornatum periisse frontis,
95 flumen exhaustum, viduosque florum
96 munere campos.
97 Quin Cleanthaeis inimica pubes
98 noctibus : doctae calidam Stagyrae
99 Porticum exosa, indomiti colebat
100 jurgia Bacchi,
101 Socrates exsul gemuit severa
102 sede, nec docta crepuere tusse
103 exedrae, nec se Stoa literatis
104 miscuit armis.
105 Te duce Ascræae rediere lauri,
106 rursus et pura fluit amnis unda,
107 ungulae proles ; liquidoque manat
108 Castalis auro.
109 Rursus Augusto tonat ore Svada ;
110 blanda vel Siren, simulare ludos
111 docta, mollitis hominum gubernat
112 corda lupatis.
113 Rursus amisso sedet in theatro
114 Rex Stagiraeus, studiosa circum
115 quem cohors audit, numeroque vastam
116 implet arenam.
117 Angelus doctor, duce te, profundas
118 excudit noctes, iterumque vero
119 excolit mentes, acuitque pulchra in
120 jurgia pubem.

121 O domus ! centum numerosa laudum
122 dux, et inventrix opulenta veri,
123 norma virtutum, scelerumque vindex,
124 terror Averni :
125 laudis obtentae memor usque cresce :
126 calcar ad laudes tua sit tibi laus.
127 Prima laus laudi solet insequenti
128 addere calcar.